24 2022

1 praes. 17. Jan. 1737.

Illustri meritis et doctrina Viro

THEOPHILO SIGEFRIDO BAYERO

S. P. D.

Io. Laur. Moshemius.

Admiratus sum incomparabilem humanitatem Tuam, Vir Amplissime, eruditione Tua, quam summam esse nemo negat, nihilo inferiorem, quum epistolam Tuam mense Martio huius anni datam acciperem. Vix intellexeras, inter nominis Tui cultores aliquo me loco esse, quum non modo officium agnosceres, non modo litteris me salutares, hominem nulla re, quam voluntate quadam veritatem exprofitendi, commendandum, verum etiam ~~[illegible]~~ amicitiam et beneficia offerres. Erit, crede mihi, haec tanta virtus Tua semper apud me mente reposita, nec unquam gratam voluntatem et summum erga Te

praes. 11. Jan. 1737.

studium in me desiderabis. Plura nec Tu requiris: nec mihi polliceri licet. Gaudeo, consilium Historiam ecclesiae in extremis orientis partibus degentis comparandi, a Te haud abiectum esse: sed intervenisse multa alia simul doleo, quae illud morantur. Si quid meae apud Te valent preces, si quid tot magnorum hominum vota, si quid denique ipsius rei magnitudo et utilitas, expedi Te hisce vinculis, efficeque, ut posteri opus Tibi debeant aeternum et immortale, cui perficiendo nemo, Te rebus humanis exemto, par erit. Sunt, fateor, praeclara illa, egregia et universae literarum rei salutaria quae cum maxime scribis et agis: nec diffiteri mihi licet, lectionem Historiae Tuae Edessenae maxima me voluptate perfudisse. Sed nec Tu negabis ipse, quae a me desiderantur, maiora esse, longeque maiori sese fructu commendare. Equidem ab aliquo tempore in cognoscendis Christianorum Orientalium tantum posui operae, quantum alii rebus et negotiis aliis, quibus paene obruor, suffurari

possum. Huic ne quid obesset studio, linguas ~~[illegible]~~ ori-
entis quasdam, Armenicam, Arabicam, Copticam, Aethio-
picam, attigi, cassus licet perpetuum et molestissi-
mo vitae generi alligatus. Verum infinita mihi de-
sunt alia, quae voluntatem impediunt, codices, anti-
quarum rerum periti, quos consulere queam, lingua-
rum magistri. Tanto magis opto, ut Tu partem hu-
ius negotii difficillimam tollas. Universam ecclesiae Hi-
storiam ad aliquod tempus in ordinem redigo: sed
tantum sunt omnia ex Jesuitarum scriptis, paucisque
aliis, quibus quantum fidei habendum sit, non satis
constitui. De Haldii magnum opus nondum ad me
delatum est. Aiunt Auctorem illud more suo sermone
describere. Ubi vero simulatque potitus ero, commenta-
tiunculam de originibus et progressu religionis Chri-
stianae in potentissimo hoc regno emittere decrevi, man-
cam sine dubio et mutilam, sed talem tamen, qua
meliorem dare nequeo, nulli licet operae pepercerim.
Ad institutum si Tu quodammodo, sine tamen magna
molestia Tua, iuvare queas, aeternum me Tibi obstri-

tum perfruebar. Historiam Tuam Bactriani imperii nondum vidi: ex nundinis forte, quae nunc fervent Lipsiae, ad me perferetur. Quae de vestigiis religionis Christianae in Tartaria refers, iucunda mihi et praeclara visa sunt: sed dubitationis adhuc habent aliquid, quod Tu, ut spero, cum tempore, depelles. Vale, vir praestantissime, mihique ingenii nominis et eruditionis Tuae cultori favere perge. Dab. in coenobio meo ad fanum S. Michaelis d. XXVI. Septembr. MDCCXXXVI.

Si in Dn. de Steinburg forte incideas, quo ego dudum familiariter utor, plurimam ipsi, quaeso, ex me salutem nuntiato.